



NICOLAI REVSNE-
RI IVRISCONSULTI,
COM. PAL. CÆSAREI,

DE VRBIBVS IMPERIA-
LIBVS GERMANIAE.

LIBER PRIMVS.

Imperij Germanici origo.



O MNIVM imperiorum in mundo
 longe maximum atq; potentissi-
 mum fuit vetus illud & augustum
 imperium Romanum: quod ex
 paruis ortum initijs, ad maximã
 peruenit amplitudinem: adeò vt
 Roma caput mundi, & domina ac regina terrarum,
 & arx omnium gentium, & sedes ac domicilium
 imperij atque gloriæ longo deinceps tempore fue-
 rit. Nam & maiestate ac dignitate summa fuit præ-
 dita: & rerum omnium præpotens, totum orbem
 terrarum ambitu suo complexa est: cuius partes &
 veluti membra olim fuerunt Syria, Ægyptus, Asia,
 Græcia, Africa, Hispania, Gallia, Italia, Germania,
 Britannia: quas omnes prouincias in ditione ac po-
 testate populi Romani fuisse manifestum est. Sed vt
 nihil in rebus humanis est stabile ac fixum: ac nobi-

A

lib.